



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Difficultas II. Possibilisnè Angelus essentialiter inannihilabilis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

immaturale, corrumpi Angelis. Id etiam non convincit; Quia possibilia non habent prædicatum exigivum suæ productionis, sed nonnisi permissivum, ut ita dicam; exigunt autem Angeli ne corrumpantur, & si concedatur exigentia ad produci possibilibus, id erit nonnisi per rationem: unde illa exigentia antecederet ad existentiam, non erit in statu actuali, cum tamen violentia, sit existentium; è contra autem exigentia Angeli ne annihilentur, est actualis, & in statu existentiae deducta, adeoque capax, ut dicatur illi non esse hoc naturale.

OBJICIUNT 3. Aliqui apud Martinon n. 43. ut aliquid naturæ suæ immortale dicatur, requirunt, non modò ut possent, sed etiam ut debeant, non mori: Tale debitum non est in Angelis; quia tale debitum est vis quædam ad arcentiam mortem; hanc non habent Angeli: quia seiplos non conservant, sed à solo Deo conservantur.

RESPONDETUR. Vim illam servandi, non habere quidem Angelos, quæ sit coeffectiva conservationis: sicut enim non efficiunt sui productionem, ita nec sui conservationem: habent tamen vim h. e. exigentiam prædicatorum.

INSTABIS. Non datur exigentia in creatura durationis æternæ à parte ante. Ergo nec à parte post.

RESPONDETUR. Qui non teneret possibilitatem creaturæ ab æterno permanentis, disparitatem facile adferret. Deinde est Argumentum à faciliore ad difficilius, difficilius autem est durare etiam à parte ante. Adde non ostendi, quodnam sit prædicatum exigivum durationis æternæ à parte ante; potest a item tale prædicatum ostendi ad durationem æternam à parte post per rationes suprà pro Conclusionem allatas. Sed quid si aliquis dubitaret de Antecedenti: neque enim adhuc illa creatura esset à se, nec inferret necessitatem suæ positionis à Deo talem, cui per absolutam potentiam resistere Deus non possit; & quod de facto illi restiterit. Nec inde sequeretur factam violentiam alicui creaturæ: nam violentia ut suprà diximus, non firmi existenti. Inclinat Martinon ad possibilitatem talis creaturæ; quod autem negatio creationis illius non sit violentia, sic explicat; quemadmodum Deus alia quædam propter fines bonos non constituit in statu naturali, sed contra ipsorum exigentiam, cuiusmodi est quod omnes terræ partes extimæ, non æque distant à centro: sic etiam potuit Deus non obsequi exigentiæ propter suos fines ne poneretur illa creatura.

Exigentia illa ad conservari, stans cum ipsa actuali conservatione, importat actum primum ad conservari, non quidem distinctum realiter, distinctum tamen ratione: quia in illo instanti durationis, possumus adhuc parti duo instantia considerabilitatis, in primo exigi ab essentia

Angeli ut conservetur, in secundo respondere illi exigentiæ Deum. Et licet in eodem instanti non possit aliquid habere actum primum distinctum realiter à duratione, quia aliàs idem se ipso esset prius & posterius, prius ratione actus primi, posterius ratione ipsiusmet durationis, seu actus secundi physici; potest tamè aliquid in eodem instanti, esse prius duratione per considerabilitatem: ad eum modum quo in Divinis exigit filius, ut persistatur in eius generatione, quæ exigentia, simul est, cum illius expletionem.

DIFFICULTAS II.

Possibilisne Angelus essentialiter inannihilabilis?

POSSIBILEM esse creaturam essentialiter inan. nihilabilem docuit Arr. D. 15. Met. S. 2. n. 64. & hic D. 2. n. 6. eandem retractat. Favet Mart. D. 6. de Deo n. 34. Negat Suar. hic L. 1. c. 9. n. 5. Vasq. hic l. p. d. 182. c. 2. n. 8.

DICENDUM est. *Implicare Angelum imò quancunque creaturam essentialiter inannihilabilem, seu quam Deus ne de absolutâ quidem potentiâ annihilare possit.*

PROBATUR I. Talis creatura & conservaretur & non conservaretur à Deo: hoc implicat contradictionem: Ergo. Quod talis creatura sit conservanda à Deo, probatione non indiget; nam hoc concedunt Oppositi cum Arriaga. Deposcit etiam hoc Auctoritas Aug. L. 4. de Gen. ad lit. c. 12. & L. 5. c. 20. Nazianz. orat. 2. de Theol. q. 36. Ansel. Monologii c. 12. qui ita loquitur; *Sicut nihil factum est nisi per creatricem præsentem essentiam; ita nihil vigeat, nisi per ejus servatricem potentiam.* Unde sicut implicat in alio rerum ordine esse aliquid, quod non sit Deus, & tamen non esse creatum, ita si vis Auctoritatis spectetur implicabit etiam in alio rerum ordine, non conservari aliquid à Deo. Gregor. 16. Moral. c. 18. *Cuncta, inquit, quippe ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursus ad nihilum tenderet, nisi eam Auctor omnium, regiminis manu teneret.* Et hoc ipsum, ulterius sic probat Ratio. Quia si aliqua creatura non conservaretur à Deo in genere durationis & conservationis, æq; esset independens & à se, sicut ipsemet Deus; in nulla autem formalitate est simpliciter independens, & à se, creatura. Quod autem non sit conservanda à Deo illa creatura, sic probatur; Conservatio quæ est essentialiter frustrâ non datur, ut suprà etiam probatum est in simili, sed conservatio creaturæ inannihilabilis, esset essentialiter frustra; quod probatur, si aliquid de se esset necessarium in existendo, & ponendo se extra nihilum, illius productio ab alio esset essentialiter frustra & inimaginabilis. Hinc Deus quia est ens necessarium in existendo, non indiget ab alio & non potest produci: Ergo etiam quod est necessarium in permanendo, & essentialiter

tialiter inannihilabile, illius conservatio esset essentialiter frustra. Pone enim v.g. Deum non conservare illam creaturam vel annihilabitur illa creatura, vel non? Si annihilabitur; Ergo non est essentialiter inannihilabilis: Si non annihilabitur, Ergo si illam conservet, si non conservet Deus, ad nihilum conducit. Illustrari hoc potest Sic. Finge Deum nolle ut Petrus sit Animal rationale, adhuc Petrus erit homo: quia hoc est de intrinseca ratione Petri: Ergo etiam si inannihilabilis est de intrinseca ratione illius creaturæ, si illam velit si non velit conservare Deus, durabit semper.

Quod autem adducit Arriaga Patrem æternum & producere Filium, & manere in ejus productione, nec posse cessare liberè, etiam de potentia absoluta, ab eà continuata productione, seu conservatione; in præsentia non convincit: quia in primis ex eo non est essentialiter frustra illa generatio, quia si per impossibile cessaret ab illa Pater, desineret esse Filius; simile autem in præsentia non dicitur. Idque ulterius ex eo: quia cum illa Generatio dicat quid intrinsecum Deo, si cessaret, hoc ipso Deus mutaretur & cessaret: quo ergo titulo Deus est immutabilis, eodem titulo semper filium generat; non mutaretur autem si non conservaret, cum probari non possit (imò oppositum evincitur) quod aliquando conservetur, illa creatura. Rursus cum illa generatio perficiatur dictione, quæ dictio est realiter ipsa intellectio communis, adeoque natura Divina, sicut ergo natura Divina desinere non potest; ita nec potest desinere dictio: tale autem, nullum ostenditur absurdum, posito quod illa creatura sit essentialiter inannihilabilis, quantumvis dicatur illa non conservari à Deo. Quod ipsum sic ulterius illustratur, quia etiam illa conservatio, esset essentialiter frustra, si non esset intrinseca & immanens Deo; & hoc excusat, cur non sit frustra, quia immanetia Deo, mutari non possunt: Quia autem illa conservatio non esset immanens Deo, & ex altera parte est de se inannihilabilis illa creatura, hinc non habet titulum, ratione cujus illa conservatio, non esset essentialiter frustra. Nec absurdum est, imò conforme rationi, Deo intrinseca & immanentia, non esse dependentia, à Deo, nec sub di dominio illius, absurdum autem est dicere aliquam creaturam, in aliqua ratione, esse independentem à Deo.

PROBATUR 2. Illa creatura cum sua inannihilabilitate essentiali, & non læderet dominium Dei, & læderet: non læderet quidem, quia nulla creatura est possibilis, quæ sit opposita & evacuans perfectionem Divinam: læderet autem ut probatur, quia si non læderet, idè non læderet, quia scil. non nisi ex suppositione consequenti ad id teneretur, quod illam videlicet Deus vellet producere, sciens de tali ejus prædicato: sed falsum est illam creaturam non nisi

ex suppositione consequenti esse inannihilabilem: quod ipsum probatur; Quando Deus liberè decernit ut existat Petrus, non ex suppositione consequenti, ligatur ut ille sit Animal rationale: quia scil. id deponit ex intrinsecis suis principiis; Ergo etiam quando Deus liberè decernit ut existat inannihilabilis essentialiter creatura, non ex suppositione consequenti ligabitur Deus, ut sit inannihilabilis essentialiter; licet ergo illic sit ligatio Divina non nisi ex suppositione consequenti de ipsa primâ existentia, quia poterat Deus non facere decretum de hac existentia; sed non potest non facere decretum, ne sit inannihilabilis essentialiter, adeoque non ex suppositione consequenti est inannihilabilis.

PROBATUR 3. Etiam Auctoritate S. Script. nam Sap. II. dicitur. *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non esset, conservaretur.* Ex quo loco sic arguitur. Illa creatura vel idèò conservaretur, quia Deus illam vellet conservari, vel non idèò conservaretur; Si non idèò, ergò contradicis Scripturæ: Si idèò, ergò liberè conservatur: Ly enim volo in Script. supponit pro liberè. Si liberè conservatur, ergo potest non conservari; Ergo & annihilari, ergo nec est essentialiter inannihilabilis. Quod si hunc locum interpreteris de solis præsentis ordinis creaturis, aut alio modo, arbitrarie, non accipies Script. ut sonat.

OBJICITUR 1. Ex Arriaga hîc D. 2. n. 4. Non implicat duratio quæ se extendat ad tempus indivisibile, vel ad aliquot dies, vel in æternum, de cujus essentia sit tot diebus, vel æternum durare.

RESPONDETUR. Hoc Argumentum supponere, quod duratio sit, quid distinctum à te durante, quod falsum est. Sed quidquid sit de hoc, Negandum est Antecedens propter allatas rationes; possibile tamen est ut ex libero Decreto Dei, non ligativo absolute illius potentia possit esse tanta vel tanta duratio. Casu autem quo ad significandum, & complendum sum decretum, quo vult Deus nunquam annihilare Angelos, produceret qualitatem aliquam, illa non nisi ex suppositione esset inannihilabilis; quia esset conformis & proportionata ipsimet decreto, quod ipsum ex suppositione non nisi inannihilabilitatem infert. Et sicut ex suppositione quod Deus velit esse amicus creaturæ, quoadusque ipsa non peccet, dat qualitatem gratiæ, quæ inamissibilitatem dicit, quoadusque creatura non peccet, idque eo titulo, quia complementum debet esse proportionatum ipsi actui, ita & illa qualitas, ut proportionetur decreto, debet esse non nisi ex suppositione inannihilabilis.

OBJICITUR 2. Non est contra dominium Dei, licet necessitetur, ut Petrus sit non nisi Animal rationale; Ergo etiam non erit contra dominium

minium Dei creatura essentialiter inannihilabilis.

RESPONDETUR. Negando Conf. quia quando Deus produxit Petrum, habet illum ita subditum, ut possit illum in tali statu ponere, in quo ita se habeat in ratione physica, ac si nullo modo exigeret esse animal rationale. Nam dum non existit, habet se, ac si non esset animal rationale. Ex quo ulterius habet Deus ut dicatur illi subdi Petrus, & pendere à dominio illius. Quod quia non posset Deus facere respectu creaturæ essentialiter inannihilabilis, fit ut illa non dicatur subdi Deo. Deinde exigentia illa est pro statu metaphysico & intentionali, circa quem minus Deus potest: nam possumus ponere in statu metaphysico rationale sine risibili; circa quod minus Deus potest: nam illud à parte non ponere non potest. Creatura autem essentialiter inannihilabilis, non esset jam pro solo nonnisi statu metaphysico, sed etiam pro statu physico, qui absolute Deo subdi potest.

Denique exigentia illa Petri, ut sit animal rationale, si spectetur independentem à nostris conceptibus, fundatur in ipsa existentia: extra enim existentiam, non est illa exigentia nisi intentionalis. Quod si illa exigentia fundata est in ipsa existentia, sicut ipsa existentia, est Deo subdita ex consequenti, etiam fundata in illa circumstantia subdi, sequique, tanquam accessoria, conditionem principalis. Quia verò nihil simile ostendi posset in creatura essentialiter inannihilabili, fit, ut illa debeat dici simpliciter non subdita Deo.

INSTAT I. Qui dicit unum actum intellectus aut voluntatis posse videre aut amare plura & g. objecta: Item unam speciem Angelicam, posse representare multa objecta, &c. non minuit dominium Dei, etiam si inde sequatur non posse Deum facere, ut illa eadem cognitio, eadem species, sit nonnisi unius objecti: Ergo etiam & inannihilabilitas illius creaturæ, non erit contra dominium Dei.

RESPONDETUR. Negando Conseq. propter disparitatem allatam: quia scilicet potest Deus illum speciem, illam cognitionem, &c. ponere in eo statu, in quo ita se habeat, ac si illam exigentiam non haberet; non posset autem Deus ita facere cum creatura essentialiter inannihilabili. Deinde quia illa notitia & species in conservari penderent à Deo, secus illa creatura.

INSTATIS 2. Dominium Dei in creaturas, non est ita absolutum, ut nihil sit imaginabile, quod non possit Deus circa quamlibet ex illis facere: alias deberemus semper dicere, quæcunque nobis occurrerint esse possibilia, & quod Deus hominem possit facere lapidem: quia est absolutus Dominus.

RESPONDETUR. Quamvis Deus non possit facere ut homo sit lapis, salvabitur ejus dominium propter dicta supra. Et licet non debeat

mus imaginari dominium Dei tale, ut nihil sit quod non possit facere, debemus tamen imaginari tale, ut etiam secundum illud quod Deus non potest in creaturis facere, secundum inquam illud, sit subditum, ratione ipsius existentia, quam subdicionem non haberet creatura, essentialiter inannihilabilis. Sic si Rex aliquis Principem non possit punire, nisi ablata dignitate, id non derogat dominio Regis; sed si punire non possit, nec auferre dignitatem, in qua impunibilitas exercita fundabatur, minuetur dominium Regis. Sic etiam, quia illa impotentia ne homo fiat à Deo lapis, fundatur prout est actu exercita in ipso existere; cum illud existere sit Deo subditum, bene salvabitur adhuc dominium Dei. Quia autem existentia creaturæ essentialiter inannihilabilis Deo non esset subdita, fit ut non salvet dominium Dei.

OBJICITUR 3. Ex Martin. d. 6. n. 34. Potuit Deus cum humano intellectu producere actum supernaturalem, asserentem de seipso quod sit totæ eternitati coexistens ad æquatè, illi repugnabit falsitas ab intrinseco, alias concurreret Deus specialiter ad actum supernaturalem, qui falsus esset; falsi autem Deus non potest esse specialis auctor.

RESPONDETUR. Concedit quidem Oviedo Controv. 1. Animastica p. 1. Posse dari actum supernaturalem falsum, de quo alias. Ceterum Argumentum non convincit: Ratio, quia ille actus diceret se perpetuò duraturum, involvendo tacitam conditionem: Si scilicet oppositum Deus non voluerit. De quo etiam dictum in materia de Visione.

QUÆSTIO IV.

De Prædicatis distinctivis Angelorum inter se.

PER Scripturam constat Angelorum multitudinem maximam esse: quia exprimitur per numerum, distinctè à nobis non conceptibilem; Ut cum dicitur; *Multa millium ministrabant, & decies millies centena millia assidebant ei.* Unde auctori, intulerunt plures esse Angelos omnibus arenis, foliis, guttis, &c. sed immerito. Quia hujus talis admissim faciendæ comparationis nullum in patribus fundamentum: Sed id habet fundamentum, esse illos plures hominibus & speciebus materialium: Ratio, quia docent PP. nonnisi ex infimo ordine infimæ Hierarchiæ, Angelos nostræ custodiæ deputari, & singulis speciebus singulos. Sed hoc ipsum adhuc dicit esse obscurum Vasq. D. 180. c. 3. additque in fine, unde constare nobis posset, eundem Angelum, in custodiam multorum hominum, iterum atque iterum non delegari? Dari Angelos singulis hominibus singulos docent Origines, Basil. Niss. Theod. Hieron. dubitat tamen Magister in 2. dist. 2. Omnes apud Vasq. d. 245.